

LVNÆ DIE 16 M. FEBRVARII A. 2015

A.d. XIV Kal. Martias a. MMXV

I 8 4

M E L I S S A



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org  
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128



## DE HODIERNA LATINITATE VIVA IN RVSSIA

– scripsit Alexius Slednikov –

Magno gaudio honorique est mihi invitatio huius symbolæ scribendæ, pro qua in initio gratias per multas corde ago et D.ri Gaio Licoppe editori et Franciscæ Deraedt redactrici. Re vera autem ea nonnulla opuscula, in quibus de orbe Latino Russorum sive Latine sive novis sermonibus Europæis adhuc agebatur, ad historiam præcipue spectaverunt linguæ litterarumque Latinarum adque condicionem rei generalem.<sup>1</sup> Quam ob rem viva quoque Russorum Latinitas relatu digna esse videtur.

Unde ergo incipiam? Certe ab ætate civitateque Sovietica, cui nihil fere fuit cum philologia classica et historia antiqua, nedum Latinitate viva. Itaque lingua Latina libris institutoriis ut substantia tradebatur ne quidem Romanorum, sed potius auctorum optimorum. Nil mirum, quod in uno ex duobus libris, ubi rationes linguæ Latinæ docendæ disserebantur, Latinitas viva dignata est unico tantum commentario. Quo auctrix, cum de rationalitate atque opportunitate huius motus disserere abnegaret, defunctis Romanis eum non posse æstimavit linguam Latinam *proprio nomine* vivificare.<sup>2</sup>

At tamen contemporaneus linguæ Latinæ usus fuit in commemoratione perpaucis libris scholasticis illius quoque ætatis.<sup>3</sup> Anno autem 1980 Lydia Winniczuk (\* a. 1904; † a. 1993) philologæ classicæ Polonæ et participis Quarti Vitæ Latinæ Conventus Avennionensis liber de lingua Latina<sup>4</sup> editus est, opus mirabile, quo inter narrationes assuetas inopinata quoque res continebantur, veluti «Quid Johannes Jaurès de lingua Latina senserit», «Ætas cosmica», «Te miserum, qui Plauti comœdiam radiophonice peractam non audiveris!», deinde denuntiationes et invitationes varii generis, nomina terrarum urbiumque Europæ et sic porro.

Sed quinam cultores propagatoresque linguæ Latinæ vivæ fuerunt in Russia Sovietica? Primus inter illos nominandus est Iacobus Borovius primum Lenino-, tum Petropolitanus (\* a. 1896; † a. 1994), patriarcha, ut ita dicam, vivæ Latinitatis Russorum. De quo viro iam satis scriptum est et Latine et Russice et novis sermonibus Europæis,<sup>5</sup> optima vero fruitur fama quam inter utriusque linguæ grammaticos domesticos tam in medio Latinistarum Europæ. Quem multiplicibus laboribus philologicis obrutum inter omnes constat etiam Latinitatem vivam magno opere curavisse Conventus Vitæ Latinæ aliaque incepta participando (erat enim socius conditor Academiæ Latinitati Fovendæ nec non cooperatore periodici c.t. 'Vox Latina'), commercium epistulare cum fautoribus Latinitatis vivæ occidentalibus habendo,<sup>6</sup> symbolas et Latinas et Russicas de ipso motu<sup>7</sup> deque poetarum Russorum versionibus Latinis<sup>8</sup> componendo. Ceterum ipse fuit poeta Neolatinus

summo ingenio, quod ostendatur his versibus:

AD JOSEPHUM TRONSKIUM<sup>9</sup> SEPTUAGENARIUM

Quanto labitur impetu  
Arctoe glacies rigor,  
Quem per frigida sæcula  
Alta nix cumulavit,

Viva mortua perterens  
Cæco pondere nec sibi  
Quicquam commemorabile  
Sinens pone manere,

Tanto momine fertur  
Fugax temporis amnis  
Quicquid venerit obviam  
Devorare paratus.

Una res tamen est truci  
Quæ succumbere flumini  
Denegat mediis potens  
Edurare procellis

Celso numine concita  
Docta mens generat sibi  
Inter ardua perpetem  
Prolem morte carentem.

Illi candida Musa  
Tollit nomen honore  
Qui palmaria posteris  
Largus dona reliquit.

Hæc Josephe tua est quoque  
Virtus sæpius edita  
Fructu cum venerabili  
Per decennia septem,

Pergas lumina litteris  
Fundere atque benignius  
Exornes amarantino  
Tuam flore coronam.

Omnes rite precamur  
Annorum ut vice multa  
Munere hac liceat tibi  
Exercere senectam.

Iacobum Borovium, centesimum iam annum agentem sed adhuc mente acuta, Gaius Licoppe se una cum

Francisca Deraedt convenisse scripsit Petropoli anno 1994 quattuor diebus ante eius obitum.<sup>10</sup>

Nunc autem Moscoviam veniam, ubi in Academia Lomonosoviana Nicolaus Fjodorov docuit, vir Latinissimus, quem plurimi philologi linguæ litterarumque Latinarum peritissimi magistrum suum vocant.<sup>11</sup> Ineuntibus annis 1970-is theatrum Latinum instituit scænicis utriusque linguæ studiosis. Ibi Hrosuithæ ‘Dulcitius’, Plauti ‘Bacchides’ et ‘Mostellaria’, Catulli ‘Epithalamium’ etc. ludebantur canendo, loquendo, saltando. Versus oratione demutati non raro nostratibus modulis popularibus inserebantur, quædam autem de commentariis ‘Vox Latina’ depromebantur. Cœptum est ludi eo proposito quod studiosæ studiosique vivam quoque vocem cognoscerent, quod sermo Romanus eis pateret. Prospero tum anno 1976 in conventu Chelidoniensi<sup>12</sup> «Εἰρήνη» secundo ita res se habuerunt, ut theatrum Lupinianum (*Lupi* cognomen Nicolao Fjodorov ab permultis alumnis eius impositum est) invitatu Germanorum viseret Ienam, Halam, Lipsiam, Berolinum.<sup>13</sup> Nicolaus Fjodorov, qui sessiones haud raro seminariaque Vitæ Latinæ participabat, post Conventum Bucurestiensem anni 1970 pronuntiatum restitutum induxit in Academiam Lomonosovianam.<sup>14</sup> Cum autem in facultate utriusque linguæ grammaticorum anno Academico 1986/1987 scholas Latinitatis vivæ instituit, usum linguæ Latinæ aliquot decenniis ante ibidem exstinctum<sup>15</sup> restituit. Cuius meritis Michael von Albrecht tot tantisque Latinis ductus eum una cum Iacobo Borovio anno 1987 *Musagetarum* gregi annumeravit.<sup>16</sup>

Quid autem de Latinitate viva in aliis rebus publicis Sovieticis? Leo Valkunas (\* a. 1914; † a. 1990), studiorum universitatis Vilnensis philologus classicus non tantum utramque linguam studiaque classica singillatim intra muros Academicos et generatim in Lithuania servanda maxime curasse, sed etiam studiosas studiososque ad versiones Lithuanico-Latinas faciendas nec non colloquia Erasmania memoriæ mandanda, ut inter se Latine loquerentur, admonuisse fertur.<sup>17</sup>

Valdemarus Shaton (\* a. 1929; † a. 2009), germanista Minecensis,<sup>18</sup> propter præclara facinora in recentiore vivaque lingua Latina propaganda *princeps novæ Latinitatis cultor in Russia Alba* a collegis vocatus est. Multam enim in popularium et Europæorum scriptis Latinis in sermonem patrium convertendis operam locavit, varia præterea opuscula Latina composuit.<sup>19</sup>

Inter ea opuscula rarissima, quæ de Latinitate viva Russice conscripta sunt, symbola ab I. Maadla erudito Estono anno 1984 composita maximi adhuc ponderis esse videtur.<sup>20</sup> Ibi de historia motus post bellum mundanum II redivivi deque quinque conventibus Francogallicis Iohanne Capelle, Guerino Pacitti, Antonio Bacci, Iohanne Maria Mir, Carolo Egger aliisque ad testimonium citatis et problematibus illo tempore dissertis scientissime enarratum est.

Fuerunt tum temporis plures sine dubio Latinitatis vivæ cultores, quorum nomina, ut plura scientes mihi ignoscant, enumerare pro dolor non valeo. Ceterum usus linguæ Latinæ excultus est quam in rerum publicarum capitibus (Chiovivæ, teste Helena Kiseleva Chioviensi) tam in urbibus Russorum provincialibus (Saratovivæ, teste Larissa Lukjanova Saratoviensi).

Iam postsovietica ætate lingua Latina in ludos inducta, gymnasiis humanisticis lyceisque fundatis, libris de utraque lingua in lucem editis, commerciiis scientificis inter Russos et Europæos amplificatis cœpta est philologia classica in Russia renasci. Mutuatis Europæorum rationibus docendi viva quoque Latinitas magis respecta est. De qua re Iudith Kagan (\* a. 1924; † a. 2000), latinistria Mosquensis, in libro suo scholastico scripsit inter alia tum hæc: «Lingua Latina in civitatibus occidentalibus... iisdem rationibus, sicut sermones Europæi edisci cœpta est. Quam ob rem societates linguæ Latinæ causa ibi condentur, conventus Vitæ Latinæ convocantur... Idem problemata, quæ ex novis propositis emergunt, solventur specialia. Etiam colloquia et libri scholastici, in quibus ænigmata reticulata, ludicra ridiculæque ex auctoribus optimis translationes linguam Latinam ad ediscendum faciunt iucundiores, in lucem prodeunt. Non negari debet, quin idem nobis aliquando huiusmodi docendi rationibus opus futurum sit».<sup>21</sup>

At tamen plerique utriusque linguæ grammatici in Russia censent Latinitatem vivam profanare classicam quæ dicitur linguam vel, in meliorem partem, ad hodiernam condicionem scholarem ac propositum linguæ Latinæ docendæ vixdum aptam esse.<sup>22</sup> Sunt ii quoque, qui timent, ne lingua Latina vivo solum modo docenda sit,<sup>23</sup> methodum grammaticæ docendi æstimantes per se probabilem.

Condicione aliqua ex parte ætatis sovieticæ proposita in Russia philologi classici tantum (et quidem Mosquenses et Petropolitani, non tamen provinciales) Latine loquuntur et scribunt. Primus autem, cum de illis linguæ Latinæ vivæ agatur cultoribus, Alexander Suppopulinus (qui et Podosinov) Mosquensis, Academiæ Lomonosovianæ professor nominandus est. Optima quam in ludis gymnasiisque tam in studiorum universitatibus fama opus eius trium voluminum fruitur c.t. ‘Lingua Latina. Introductio in linguam et humanitatem Romæ antiquæ’ coactrice Natalia Shchhaveleva (\* a. 1946; † a. 2001) latinistria Mosquensi.<sup>24</sup> Id doctrinale<sup>25</sup> est admirandum variis ex causis. Primum quia eo continetur longa descriptio Latinitatis vivæ motus nec non conventus Academiæ Latinitati Fovendæ Treverici, inter quem Alexander Suppopulinus acroasin fecit.<sup>26</sup> Item propterea quod in duorum voluminum chrestomathia, quæ tres libros institutoribus insequitur, scripta Romanorum auctorumque mediæ ævi et Renascentiæ et huius quoque ætatis habentur. Quoad lexica Latino-Russicum et

Russico-Latinum, vocabula ibi non tantum antiqua, sed etiam mediævalia et hodierna respecta sunt.

Ceterum Alexander Suppopulinus, etsi primum omnium est præclarus historicus Academicus et philologus classicus, tamen per multos annos munere ludimagistri magnis cum progressibus fungitur. Quam discipuli discipulæque tam magistri magistræque eius opusculis scænicis delectantur.<sup>27</sup> Quo sive favente sive cooperante omnia fere in Latinitatem vivam incepta effici videntur. Inter talia sunt ex. gr. vespertinæ scholæ Latinitatis vivæ in dicta a Demetrio Pozharsky universitate studiorum Mosquensi, quæ ab anno 2012 quotseptimanis habentur magistro Gregorio Belikov alumno Neovivariensi ac Academiæ Lomonosovianæ doctore renuntiando. Ab eodem anno 2012 pueri puellæque Mosquenses, Petropolitane provincialesque paucæ in lingua Latina viva a magistris Gregorio Belikov Mosquensi, Alexio Belousov Mosquensi, Maria Kasyanova Mosquensi, Arsenio Vetushko-Kalevich Petropolitano, Georgio Shakhov Mosquensi erudiuntur inter Æstivam Scholam Antiquitatis provehendæ. Ecce relatio Nataliæ Komleva Vologdensis, primordialiter russistæ, quæ ad litteras Latinas deinde conversa est: «Nemo fuit, qui illa exercitia obstupenda, nisi portentifica æquo animo spectaret: tantum animi impetum tantamque sollertiam scænicam Gregorius Belikov et Alexius Belousov moderatores certi ostenderunt. Nil mirum, quod ea summam voluptatem omnibus nobis attulerunt.

«Res autem, de quibus agebatur, erant hæc: *Schola prælusoria, Novus dies, Familia, Geographia, Magister et discipuli, Animalia, Otium post negotium* etc. Nil nisi Latine nobis exceptioni datum est. Primum, cum quisque nostrum pilam ab magistro iactam captabat quandam quæstionem eius respondens, vetera repetebamus. Dein tempus erat novas materias ludendo (i.e. scholasticorum internorum ædes læte perambulando resque vocabulis Latinis indicatas in conclavibus, culina, balneo, locis mundiciarum secretis inquirendo) discere. Quas materias, cum fabulas recitabamus partibus divisas, item memoriæ mandabamus. Finiebantur autem scholæ carmina Latina ex versibus Catulli aliorumque composita interdum canendo.

«Illas tandem scholas Latinitatis vivæ pueri laudare non desierunt. Quippe nemini eorum in mentem venit seriores studia historiographiæ, epigraphiæ, philosophiæ, litterarum et artium Græcorum Romanorumque negligere diurna; cum tamen vespertinæ horæ causam præbuerunt otii, ridendi, nugas agendi, tunc aliquot novæ quoque vocalæ Latinæ edisci potuerunt».

Omnes fere illorum philologorum iuniorum, Gregorius Belikov scilicet et Georgius Shakhov Arseniusque Vetushko-Kalevich in Academia Vivarii Novi olim versati erant utramque linguam litterasque antiquas ibi discentes. Quibus annuerandus est Alexius Belikov Mosquensis, qui anno 2013 solus ex

tota Russia conventum Vindobonensem participavit.

Etiam solus inter ordinarios Academiæ Latinitati Fovendæ sodales id temporis manet Russus: Helgus Nikitinski, vir doctissimus.<sup>28</sup>



A. Scatebranus et A. Suppopulinus inter sessionem associetatis EUROCLASSICA Petropoli anno 2007 habitam. Hoc photographema depromptum est ex pagina 'Librarii': <http://librarius.narod.ru/220907.htm>

Cum de usu linguæ Latinæ agatur deque hodierna Latinitate viva Russorum, investigationes Alexii Scatebrani (sive Solopov) Ruteni nullo modo possunt amitti. Illæ libro eius continentur, qui inscribitur 'Initia eloquentiæ Latinæ'.<sup>29</sup> In præfatione Latine composita sic enarravit propositum ac rationem operis sui: «ceterum ne in animo quidem habui eloquentiæ Latinæ totam disciplinam ad rationem reuocare... nempe hoc quem confeci commentario non præcepta artis bene Latine scribendi traduntur, sed uestibula tantum aditusque ad artem aperiuntur... Tribus capitibus, quorum primo eloquentiæ Latinæ gradus et ætates explicantur, secundo lexica Latina recensentur, tertio uero scripta Latina, præsertim ex aliis linguis in Latinum conuersa, exemplorum loco proponuntur, quartum adieci, quo de nominibus locorum et de uocabulis nouis fingendis disputarem; ibi nonnulla nouata insunt».<sup>30</sup> Plurima vocabulorum ab eo novatorum pertinent ad urbes oppidaque Russorum, quæ sive vix unquam sive rarissime vestitu Latino apparuerunt, ex. gr.: *Eocratea*,<sup>31</sup> *Neonicolaopolis*,<sup>32</sup> *Aquæ Acidæ* (Kislovodsk),<sup>33</sup> *Catharinodorum*,<sup>34</sup> *Ripa Rubra* (Krasnoyarsk),<sup>35</sup> *Mons Magnes* (Magnitogorsk).<sup>36</sup> Inter nova verba ad res cotidianas hodiernasque pertinentia afferam hæc: *trichordum*,<sup>37</sup> *auricularium*,<sup>38</sup> *[machina] perlustratrix*,<sup>39</sup> *venedologus*,<sup>40</sup> *Ruteniensis*,<sup>41</sup> *cænoniologus*,<sup>42</sup> *teleopter*,<sup>43</sup> *memoria separabilis*,<sup>44</sup> *telephonematium*.<sup>45</sup>

Nova verba Latina etiam ab aliis philologis classicis excogitantur: sic vox *pandesmos* ab Alexandro Fabricio (qui et Kuznetsov) Mosquensi anno 2004 inventa est<sup>46</sup>

et voces *arcera*,<sup>47</sup> *torus*<sup>48</sup> ab Alexio Albano (sive Belov) Mosquensi<sup>49</sup> oblatae sunt. Quod tamen illae inquisitiones intra Russiam plerumque conservantur, inter Latinitatis vivae cultores occidentales ab auctoribus publicari morantur, vero dolendum est.

Gaius Licoppe in novo libro suo Thomam Pekkanen Finnum seque una cum Francisca Deraedt annis 1993/94 philologos classicos Petropolitano visitasse inter alia narrat.<sup>50</sup> Triginta fere annis post, anno 2011 Moscoviae, in Museo Graeco-Latino moderatoribus sociis Neovivariensibus quaedam schola linguae Latinae vivae habita est. Idem Valahfridus Stroh Monacensis Moscoviae versatus est, cum extremo anno 2013 coram Academia Lomonosovianae historicos atque utriusque linguae grammaticos auditiones Latinas de rhetorice litterisque Graecis et Latinis habuit.<sup>51</sup>

Mediantibus autem annis 2000-is Basilius Prusakov et Gregorius Kazakov studiosi (unus medicinae et alter rerum, nisi fallor, Germanicarum) Mosquenses conventicula Latina una instituerunt in ea Academia Lomonosovianae ordine, ubi linguae peregrinae et regionum proprietates explorantur. Iisdem auctoribus anno 2006 colloquia Russico-Latina q.t. 'Latinitas in usu' in lucem prodierunt, mihi pro dolor ignota.<sup>52</sup>



*Tegumenta duorum librorum de Latinitate viva*

In Russia illa colloquia primum fortasse opusculum de Latinitate viva facta sunt. Non tamen unicum forte fortuna, anno enim 2013 duo simul libelli ad hanc rem spectantes lucem aspexerunt. In praefatione primi libri,<sup>53</sup> cui illa fabula pulcherrima Michaelis von Albrecht est fundamento, de viva Latinitate Europaeorum Russorumque agitur, quam insequuntur ipsa fabula una cum versione Russica interprete Nicolao Fjodorov, quibus factis fragmenta ex commentariis librisque scholasticis q.t. 'Iuvenis', 'Piper salve' e.a. ad legendum offeruntur. Multo facilius est dicendi genus apud alterius libri auctorem,<sup>54</sup> qui narrationibus suis de rebus cotidianis hodiernisque conscriptis exercitia varia adiunxit. Idem descriptiunculas narrationibus anteposuit tres de eo, quo modo nova verba Latina

componuntur, hodierna quidem nomina propria latinizantur deque pronuntiatu Latino restituto.

Quid adhuc adiciam de rebus librariis? Nullum est apud Russos periodicum Latinum, at tamen... In commentariis Mosquensibus 'Aristeas. Philologia Classica et Historia Antiqua' nec non in ephemeride philologica Petropolitana 'Antiquitas perennis. Cultus classicus eiusque fata' singulariae symbolae Latinae perpetuo publicantur, sed multo rarius divulgantur in commentariis Petropolitano 'Hyperboreus' et 'Colloquia Classica et Indogermanica sive Lectiones Tronskianae'. Ceterum versificatio Latina more tradito in Russia continuata est, inter hodiernos poetas Latinos Pancratius Zelchenko et Michael Pozdnev Petropolitani, P. Georgius Stasiuk Neonicolaopolitanus,<sup>55</sup> Andreas Curascinius Septempalatinus<sup>56</sup> aliique nominandi sunt. Ex eorum thesauro poetico hic supponantur versus gregis musicorum «Beatles» a Pancratio Zelchenko et Michaele Pozdnev converti:

IMO SUB MARI<sup>57</sup>

Municipio meo  
Fuit nauta nobilis;  
Ille rettulit nobis  
Laete vivi sub undis.

Ergo solvimus rates:  
Perge, rector, donec stes,  
Ubi nos, si placet dis,  
Condat unda viridis.

Flava nave manemus sub mari,  
Imo sub mari, imo sub mari,  
Flava nave manemus sub mari,  
Imo sub mari, imo sub mari.

Navigemus nunc omnes:  
Heus, amice, huc ades,  
Tange pollice fides...

Flava nave manemus sub mari,  
Cuncti sub mari, cuncti sub mari,  
Flava nave manemus sub mari,  
Imo sub mari, imo sub mari.

Redit regnum Saturni,  
Gaudent remiges boni,  
Praesto omnia fidis  
Flava nave sub undis.

Flava nave manemus sub mari,  
Semper sub mari, semper sub mari,  
Flava nave manemus sub mari,  
Imo sub mari, imo sub mari.

Rebus technicis ad finem pervenio. Rectissime enim P. Cælestis Eichenseer quondam scripsit Latinitatem... non ad somniores vel somniatrices spectare et pertinere, sed ad vitam ipsam interdum commodiorem interdum difficiliorem.<sup>58</sup> Cum tamen hodierni librorum scholasticorum auctores vitalitatem linguæ Latinæ nostra quoque ætate ostendere eique vim usque ad nostram memoriam tribuere volunt, novis rebus technicis nomina sive Latina sive Græca imponi narrant. Hodiernas illic rationes verborum derivandorum esse vero corruptas tacent. Re vera vix Romani antiqui talia verba Russica ut *televvisor* ad instrumentum significandum, *tractor*, cum de vehiculo, adhiberent. Quibus autem modis hæc taliaque Latine, ad Romanorum morem interpretanda sint, recentioris hodiernæ vivæ Latinitatis cultores amatoresque, ut in usu cotidiano habeant, investigant. ☞

- 
1. Inter quæ sunt ex. gr.: Jacobus Borovskij, *De institutionis Latinæ in Unione Sovietica conditione*, Acta omnium gentium ac nationum conventus Latinis literis linguæque fovendis Romæ a. MDCCCCLXVI habiti, Romæ, 1968, p. 89-94; Larissa Mokrobodova, Thomas Pekkanen, *Lingua Latina in historia Russiæ*, *Vox Latina*, 30, p. 553-566; Nicolaus Fjodorov, *De latinarum litterarum conditione et usu in Russia sæc. XV-XVI*, VIII Conventus, 1993, Leuven-Antwerpen: Academia Latinitati fovendæ, 1993; idem, *De latinitatis studiis in Russia*, *Novy Germes*, 2, 2008; Nikolaus Katzer, *Latinitas Russiæ. Römische Erbe und lateinische Philologie in Rußland*, *Geschichte als Verpflichtung: Hamburg. Reformation und Historiographie*, Festschrift für Rainer Postel zum 60. Geburtstag, Hamburg, 2001, p. 229-260.
  2. Cfr Nina Katsman, *Metodika prepodavaniya latinskogo yazyka v institutakh i na fakul'tetakh inostrannykh yazykov*, Moskva, 1979, p. 18. Certe propter defunctos adhuc Romanos etiam in secunda huius libri editione aucta, quæ viginti quattuor annis post in lucem prodit, hic commentarius mansit immutatus.
  3. Yakov Borovsky, Alexandr Boldyrev, *Uchebnik latinskogo yazyka dlya humanitarnykh fakul'tetov universitetov*, Moskva, 1975, p. 18-19; Alexandr Deryugin, Larisa Lukyanova, *Latinsky yazyk*, Moskva, 1979, p. 8; Andrey Kozarzhevsky, *Uchebnik latinskogo yazyka*, Moskva, 1981, p. 9.
  4. Qui Russice inscribitur sic: Lidiya Vinnichuk, *Latinsky yazyk. Samouchitel' dlya studentov humanitarnykh fakul'tetov universitetov i pedagogicheskikh vuzov*, Moskva, 1980. Faventibus lectoribus letricibusque anno 1985 secunda quoque editio emendata lucem aspexit.
  5. Alexius Solopov, *De Iacobi Borovii die natali nonagesimo quinto rite celebrato*, *Vox Latina*, 28, p. 454-457; Alexander Chernjak, *In memoriam inclutissimam Iacobi Borovskii, professoris Petropolitani*, *Vox Latina* 30, p. 418-421; idem, *Jacobo Borovskio nonagenario*, *Drevny mir i my*, 1, p. 167; Thomas Pekkanen, *In memoriam Iacobi Borovskij*, *Melissa*, 59, p. 14-15; Yakov Borovsky, *Opera philologica*, Sankt-Peterburg, 2009; Alexandr Gavrilov, *Yakov Markovich Borovskiy*, *Dvoynoy portret (filologi-klassiki o filologakh-klassikakh)*, Moskva, 2011, p. 31-39; idem, *Jakov M. Borovskij, Poet of Latin in the Soviet Union*, *Classics and Communism: Greek and Latin behind the Iron Curtain*, Budapest, 2013, 19-36.
  6. Multæ ex illis inveniri possunt in decenniorum priorum fasciculis 'Vocis Latinæ'.
  7. Jacobus Borovskij, *Quomodo viva Latinitas adjuvanda nobis sit*, *Opera phi-*

- lologica, p. 274-277; Yakov Borovsky, *Latinsky yazyk kak mezhdunarodny yazyk nauki: k istorii voprosa*, *Problemy mezhdunarodnogo vspomogatel'nogo yazyka*, Moskva, 1991, p. 70-76.
8. Yakov Borovsky, *O perevodakh stikbotvorenykh Pushkina na latinsky yazyk*, *Vremennik Pushkinskoy komissii-1970*, Leningrad, 1972, p. 68-76.
9. Josephus Tronskius Leninopolitanus (\* a. 1897; † a. 1970) fuit præclarus utriusque linguæ grammaticus et glottologus Sovieticus, in cuius memoriam inde ab anno 1997 Petropoli, in Instituto Glottologiæ provehendæ Academiæ Artium Russicæ, cura et studio Academici Nicolai Kazanskij habentur Colloquia Indogermanica et Classica, quæ *Lectiones Tronskianæ* dicuntur.
10. Gaius Licoppe, *Academia Latinitati Fovendæ: eius historia per motum Latinitatis vivæ considerata (1952-2012)*, Bruxellis, 2014, p. 276. Ibidem Iacobus Borovius iterum iterumque commemoratur: p. 94, 141, 168, 187, 194, 199, 200, 202, 203.
11. Quod ostenditur titulo libri, qui ad eius diem natalem octogesimum editus est: *DISCIPLINÆ MAGISTRO: K 80-letiyu N.A. Fyodorova*, Moskva, 2008. Ecce inscriptio laudativa in primo libro posita: NICOLAUS FJODOROV A (LEXII) F(ILIO) OCTOGENARIO / DONVM NATALICIVM A DISCIPLINIS / VIRO INGENIOSO GRAMMATICO PERITISSIMO / MAGISTRO VENERABILI / GRATO ANIMO OBLATVM (ibid., p. 9).
12. Cfr apud Alexium Scatebranum Rutenum, p. 473: *Chelidonium -ii*, n. i. e. *Yerevan*.
13. Ibid., p. 576-578.
14. Ceterum Petropolitani pronuntiatu restituto usi erant inde ab anno 1932 (Alexey Solopov, Ekaterina Antonets, *Latinsky yazyk*, Moskva, 2009, p. 22).
15. Latinam linguam intra muros Academicos Mosquenses Alexius Solopov refert ab anno 1837 in usu philologorum classicorum tantum mansisse; Sergium autem Sobolevskij (\* a. 1864; † a. 1963), illustrissimum philologum Mosquensem, non tantum maturitatis examen superasse Latine (anno 1882), sed etiam utramque dissertationem, magistralem (anno 1990) et doctoralem (anno 1892) Latine scripsisse; Nicolaum autem Deratani ultimum grammaticorum Mosquensium dissertationem Latinam habitasse anno 1916 (Alexey Solopov, *Nachala latinskoy stilistiki*, Moskva, 2008, p. 119-120).
16. «Simio, cum de 'Musagetis' (Musarum ductoribus) scriberet, hi linguæ Latinæ cultores ante oculos obversabantur: Jakov Borovskij, Josef Delz, Oswald Dilke, Cælestis Eichenseer, Nikolaj Fedorov, Godo Lieberg, Konrad Mulier, Kevin Newman, Boleslav Povsic, Klaus Sallmann, Suitbert Siedl, Wilfried Stroh» (Mikhael fon Al'brecht, *O geydel'bergskey obez'yane. Sovremennaya latyn'...* = Michael von Albrecht, *De simia Heidelbergensi. Liber ad usum discentium linguam Latinam bodiernam denuo editus. Appendix ad præcepta «Linguæ humanitatisque Latinæ» Ordinis professorum qui linguas peregrinas et regionum proprietates explorant in Studiorum Universitate Mosquensi Lomonosoviana*, Moskva, 2013, p. 101).
17. Dalya Dilite-Stashkyavichene, *Rytsar' klassicheskoy folologii Lyaonas Valkunas*, *Dvoynoy portret-II (filologi-klassiki o filologakh-klassikakh)*, Moskva, 2011, p. 189, 190, 193.
18. Cfr formas *Minecum -i, n* (Fridericus Carolus Kraft, p. 1502 et Alexius Scatebranus Rutenus, p. 512) et *Minscum -i n* (Iohannes Iacobus Hofmann, *Lex. Univ.*, p. 834).
19. Nonnulla eius colloquia et acroases inveniri possunt hoc loco: [http://www.linguaeterna.com/content/auctor/shaton\\_vladimir\\_konstantinovich](http://www.linguaeterna.com/content/auctor/shaton_vladimir_konstantinovich)
20. I. Maadla, *O sovremennykh popytokakh «ozhivleniya» latyni kak yazyka mezhdunarodnogo obschcheniya*, *Interlinguistica Tartuensis*, 3, 1984, p. 58-72.
21. Yudif' Kagan, *Latinsky yazyk*, Moskva, 2000, p. 10.
22. Etiam Russiæ valet argumentum Theodorici Sacri Lovaniensis ad conditionem linguæ Latinæ vivæ in Europa spectans: «Somit klafft ein Abgrund zwischen aktivem Latein und derjenigen Wissenschaft, von der man eigentlich

erwarten sollte, daß sie sich am stärksten für die Erhaltung der Sprache einsetzen müßte... Ein großer Teil der klassischen Philologen hält lebendiges Latein für unwichtig für ihre eigene Disziplin oder will sich damit nicht identifizieren» (Dirk Sacré, *Zeitschriften in lateinischer Sprache*, AU, 5, p. 72).

23. Quod hæc sententia est falsa mendosaque, intellegi potest ex testimoniis ipsorum Latinitatis vivæ fautorum, cfr: «Lateinsprechen ist heute nirgendwo eine von der gesellschaftlichen und kulturellen Lebenswirklichkeit geforderte Grundfähigkeit, die der Schüler auf der allgemeinbildenden Schule zu erwerben hätte... Wir unterrichten heute Latein, um die Schüler zu befähigen, lateinische Texte von der Antike bis in die Gegenwart zu dekodieren... Also kann Lateinsprechen nicht Ziel des Unterrichts an der allgemeinbildenden Schule sein... [Aber es] kann oder muß... sogar eine sinnvolle Ergänzung und Bereicherung des Lateinunterrichts sein» (Andreas Fritsch, *Lateinsprechen im Unterricht. Geschichte – Probleme – Möglichkeiten*, Bamberg, 1990, p. 75, 76). – «Non methodus Latinitatis ab incunabulis docendæ tibi est præ manibus. Institutio primaria enim scholarum est. Attamen oportet tibi iam aliquam scientiam grammaticæ Latinæ esse necnon notitiam quandam vocabulorum, præterea optanda est lectio auctorum facilliorum Latinorum iam habita. Quomodo vero efficiatur ut illæ plantæ scholares gemmescant, callide curabit PIPER SALVE. Verumenimvero cum primum te regnaverit furor Latinitatis vivæ, familiaritas istius linguæ, quæ perperam mortua dicitur, et facultas loquendi ultro crescent» (Robert Maier, Mechtild Hofmann, Klaus Sallmann, Sabine Mahr, Sascha Tageser, Dominika Rauscher, Thomas Göhlhäuser, *Piper Salve. Cursus Vivæ Latinitatis*, Francofurti ad Mœnum, 1992–1998, p. 6).

24. Russice: Alexandr Podosinov, Natalya Shchhaveleva, *Lingua Latina. Vvedenie v latinsky yazyk i antichnyu kul'turu*, I-III, Moskva, 2008. In memoriam collegæ suæ mature vita decessæ Alexander Suppopulinus duas composuit symbolas: Alexandr Podosinov, *Natalya Shchhaveleva (1946–2001) (Pamyati kollegi i drugu)*, Drevneyshye gosudarstva Vostochnoy Evropy. 1999 g. Vostochnaya i Severnaya Evropa v srednevekovye, Moskva, 2001, p. 460–466; idem, *Natalya Ivanovna Shchhaveleva*, Dvoynoy portret–II (filologi-klassiki o filologakh-klassikakh), Moskva, 2011, p. 178–185.

25. Du Cange, II, p. 897; Niermeyer, p. 346; Blaise, p. 320.

26. Vide: Alexander Podosinov, *De nonnullis locis communibus in barbaris septentrionalibus describendis apud scriptores Latinos*, Acta omnium gentium ac nationum conventus quinti latinis litteris linguæque fovendis. De Roma et provinciis septentrionalibus ad occidentem vergentibus (Acta Treverica 1981), Leichlingæ, 1984, p. 63–67.

27. Magnam notitiam habet ex. gr. eius «Lupus in Fabulis sive Rubra Cappula Latina. Fabula scænica in quattuor actibus cum prologo et epilogo ac non sine saltationibus cantibusque», quæ primum anno 1994 usa est.

28. Gaius Licoppe, *op. cit.*, p. 392. Liber eius c.t. *De eloquentia latina sæc. XVII et XVIII...* totus Latine conscriptus inveniri potest hoc loco: <https://archive.org/details/sergius>

29. Alexey Solopov, *Nachala latinskoy stilistiki*, Moskva, 2008.

30. Idem, *op. cit.*, p. 8–9.

31. Idem, *op. cit.*, p. 652. Cfr *Vladivostokium* (Egger, *Lex. nom. loc.*, p. 331).

32. Idem, *op. cit.*, p. 521. Cfr *Novosibiriscum* (Egger, *Lex. nom. loc.*, p. 222).

33. Idem, *op. cit.*, p. 494.

34. Idem, *op. cit.*, p. 497. Cfr *Crasnodaria* (Egger, *Lex. nom. loc.*, p. 169).

35. Idem, *op. cit.*, p. 498.

36. Idem, *op. cit.*, p. 507.

37. Idem, *op. cit.*, p. 611. Cfr *organum (musicum) populare, tribus vel duabus fidibus instructum* (Ivashkovski, *Lex. Ross.-Lat.*, 1849, I, p. 28); *cihbara balalaica*; *cihbara triangula Russica*; *cihbara Sarmatica* (NLL, p. 48).

38. Idem, *op. cit.*, p. 630. Cfr *radiophonicum excipulum* (NLL, p. 217); *conchæ auditoriæ* (Visuel. Wört. lat.-deu., p. 268).

39. Idem, *op. cit.*, p. 641. Cfr *[instrumentum] scansorium* (Visuel. Wört. lat.-deu., p. 176).

40. Idem, *op. cit.*, p. 641. Cfr *rerum Slavicarum peritus* (NLL, p. 342).

41. Idem, *op. cit.*, p. 642. Cfr *sovieticus* (NLL, p. 343; del Col, p. 1012).

42. Idem, *op. cit.*, p. 643. Cfr *sociologus* (NLL, p. 343; del Col, p. 1003).

43. Idem, *op. cit.*, p. 645. Cfr *televisorium* (Eich., *Pars lex.*, p. 78; del Col, p. 1044); *instrumentum televisificum* (NLL, p. 130); *instrumentum teleboramicum* etc. (del Col, p. 1044).

44. Idem, *op. cit.*, p. 650. Cfr *memoria UST /USB/; conditorium portabile* (Krukowska, *Vox Lat.*, 46, p. 398).

45. Idem, *op. cit.*, p. 656. Cfr *nuntium breve* (Latinophilus, VI, p. 36; del Col, p. 999).

46. Idem, *op. cit.*, p. 347. Cfr *interrete* (Eich., *Coll.*, p. 245–249); *rete internationale* (del Col, p. 590); *intextus internationalis instrumentorum computatoriorum* (Egger, *Latinitas*, 44, p. 265).

47. Alexey Belov, *Otzyv o knige A.G. Slednikova «Zhyvaya latyn'. Libellus de lingua Latina viva»*, p. 7: <http://antik-yar.ru/wp-content/uploads/2014/07/responsum.pdf>. Cfr *autocinetum, autoræda* (Eich., *Pars. lex.*, p. 39, 42).

48. Ibid. Cfr *sponda, stibadium* (Eich., *Pars lex.*, p. 14).

49. Vir quam utraque lingua et glottologia Indogermanica doctissimus tam usus Latinitatis peritissimus est. Una cum Alexandro Suppopulino iam prædictum lexicon Russico-Latinum composuit nec non librum scholasticum de lingua Latina c.t. *Ars grammatica* conscripsit, in cuius præfatione Latinitati vivæ locum dabat.

50. Gaius Licoppe, *op. cit.*, p. 275–277. Vide etiam has symbolas: Thomas Pekkanen, *De itinere Petropolitano (26–29 III 1993)*, Melissa, 56, p. 14–15; Gaius Licoppe, *De itinere Petropolitano*, *Vox Latina*, 30, p. 533 f.; 31, p. 63 f.

51. Vide: Gregorius Belikov, *De Valabfridi Stroh professoris Monacensis adventu*, *Aristey. Vestnik klassicheskoy filologii i antichnoy istorii*, 9, p. 13–16; Wilfried Stroh, *Valabfridi Monacensis de itinere suo ad Moscuenses commentariolus*, *ibid.*, p. 16–20.

52. Plura invenies in: Basilius Prusakov, *Propagines orbis Latini in Russia*, *Vox Latina*, 50, p. 114–118.

53. Mikhæl fon Al'brekht, *op. cit.*

54. Alexey Slednikov, *Zhivaya latyn' = Alexii Vestigiarii libellus de lingua Latina viva*, Yaroslavl', 2013. Editio electronica inveniri potest hoc loco: <http://antik-yar.ru/main/liber-de-lingua-latina-viva>

Quem libellum duæ antecesserunt symbolæ: idem, *De institutorio linguæ Latinæ vivæ cursu ad usum scholarium Russorum*, *Vox Latina*, 47, p. 87–94; idem, *Elementarny kurs razgovornoy latyni dlya studentov rossiyskikh vuzov: problemy i perspektivy*, Indoeuropeyskoe yazykoznanie i klassicheskaya folologiya–XIV (chteniya Tronskogo), 2, Sankt-Peterburg, p. 314–324.

55. Vide commentarium 32. Eius carmina ex Russico versa inveniri possunt in pagina, cuius inscriptio sic [http://www.binetti.ru/artes/poesia/carmina\\_russica.shtml](http://www.binetti.ru/artes/poesia/carmina_russica.shtml) legitur.

56. Cfr apud Alexium Scatebranum Rutenum, p. 544: *Septem Palatia n i.e. Semipalatinsk*. Poetica eius invenies hoc loco: [http://linguæterna.com/content/auctor/kuryashkin\\_andrei](http://linguæterna.com/content/auctor/kuryashkin_andrei)

57. Versus sequentes deprompti sunt ex pagina gymnasii classici Petropolitani, quæ est hæc: <http://610.ru/rest/lastrings/latinsongs.html>

Ibidem alia eorum carmina Latina intersunt.

58. Cælestis Eichenseer, *De usu linguæ Latinæ diligenter perquirendo convenienterque restaurando*, Collectanea usui linguæ Latinæ dicata, Saraviponti, 1999, p. 3.



## DE SIBYLLINA MORTE QVADAM

- scripsit Daniel Blanchard -

Ἄνθρωποι θνητοὶ καὶ σάρκῖνοι, οὐδὲν ἔόντες,  
 Πῶς ταχέως ὑψοῦσθε, βίου τέλος οὐκ ἔσορῶντες.  
 (Oracula Sibyllina, I, 1)

Erat heri convivium apud amicum (benigne me invitaverat), virum rerum humanarum non incuriosum, maximumque librorum amatorem, qui aliquot sodales ex America reduces domi accipiebat. Ut mos ei erat, laute cenavimus, et ad bibliothecam tetendimus, ubi licuit inter perpulchras editiones Latinorum Græcorumque philosophorum, quæ omnes æci parietes tegebant, colloqui. Tunc hospes noster rem miram narravit, quæ acciderat amico cuidam suo nuper vita functo. Opinor nonnullos convivas rei incredulos fuisse. Quamquam præbet narratio portentosi mendacii speciem, rem haud falsam arbitror ego: mendaces enim homines verisimilia sedulo proferre solent.

Hospes noster nominatur Lucius. Post studia philosophica, ad negotium paternum se contulit, et celeriter, repentina hereditate accepta, divitias auxit suas. Sic potuit in sinu urbis Lutetiæ, haud longe ab ecclesia divi Germani in Pratis, amplissimam diætam emere, necnon libros antiquos tabulasque pictas ex tota Europa, quam negotii causa peragraverat, colligere. Vir frugi, philosophicas lectiones summæ voluptati habet, et amicitiam super omnia bona colit. Defluentibus annis congregavit circa se amicorum sodalitatem, quibuscum sive in otio sive inter negotia consuetudinem iunxerat. Novit enim homines multos, mercatores, eruditos, legatos, regentes, philosophos, senatores, librorum antiquorum collectores venditoresque, artifices vel ecclesiasticos, qui libenter eo invitante in eleganti triclinio viæ Bonæpartis disputantes vesperum degunt. Non audacter tamen dicam me inter intimos eius esse.

Heri ergo, de demortuo amico locutus est. Senex ille, inquit, strenuus cultor fuerat litterarum, qui officio functus erat patroni causarum in tribunali rerum commercialium. Institutus erat in familia catholica Lutetiæ Parisiorum, sæviante altero omnium gentium bello, at profligatis Germanis hostibus frequentaverat studiorum Universitatem usque ad doctoratum. Prosperus fuerat in negotiis, satis quidem ut constitueret sibi bibliothecam ditissimam in diæta insulæ sancti Ludovici. Nonnulli dixerunt eum hoc modo voluisse hominum societatem fugere post horrendum casum, quo vita simul defuncti erant amatissima uxor et juvenis filius uterque. Quamquam in flore ætatis fuerat, noluerat denuo uxorem ducere, et inter libros atque raros sodales habitabat.

Advenit tandem dies, quo, ætate provectus, voluit negotia deponere. Ut fieri solet, multi collegæ festivi-

tatem in amplis atriiis noti deversorii (quod 'Ritz' nominatur) statuerant, quam adierunt præfectus vigilum urbanorum, tres administri emeriti, multi magistratus advocatique necnon opulenti mercatores negotiatoresque ex tota Gallia, quibus sine dubio quondam auxilio fuerat. Omnes convivæ festivi erant, nam dominus Petrus Achard, ætate sexaginta septem annorum, plures fautores quam detractores habebat. Ecce collegæ eius pecuniam collegerant, ut ei donum splendidum facerent. Omnibus enim notum erat, quantum libros antiquos diligeret, quam ob rem donum dederunt Lactantii operum perantiquam editionem, quam incunabulam vocant, Venetiis anno MCCCCLXXVIII impressam.

Nunc dicendum est dominum Achard semper artem oratoriam (ut plerique advocati solent) coluisse. Bibliotheca eius dicata erat optimis oratoribus (præcipue eis, qui in tribunalibus officio functi erant), itaque orationes Ciceronis, Quintiliani, Demosthenis sacra cum admiratione lectitabat. Iudices flectere, rem plane illustrare, causam vehementer defendere, delectis verbis concionari, ea nobilissimam artem habebat. Quamquam Lactantius, qui Cicero christianus dicitur, defensionem religionis christianæ scripsit, numquam autem propriam scripsit orationem iudicalem, qua de causa non legerat opus dominus Achard; occasione data, nec deficiente otio, integros libros legit.

Hoc in libro antiquissimo, Græcis typis partim inciso, primum de oraculis Sibyllinis legit. Res mira ei visa est: prophetissæ Græcæ, paganæ ergo, oracula de venturo Christo ediderant tres vel quattuor sæcula ante partum sanctæ Virginis. Sic aiebat Lactantius, qui fragmenta perditorum librorum propheticorum citabat. Num mentitus est fervens theologus, qui radices christianæ fidei in ipsa Græcitate invenire cupiebat?

Lectionibus oratorum tunc primum neglectis, dominus Achard statuit plura de re inquirere, quia erat christianus nec antea multum fidem suam exploraverat. Cito apud Augustinum nonnulla de oraculis Sibyllinis invenit, in libro de Civitate Dei duodevicesimo, quo optimus theologus et pater Ecclesiæ dicta Sibyllarum de Christo confirmabat exstitisse ac veracia fuisse. Fide digna. Paganæ ergo illæ non delirabant, immo vera et occulta clare nuntiaverant.

Post aliquot dies invenit apud bibliopolam editionem carminum Bucolicorum Vergilii cum scholiis Iohannis Vivis et aliorum. Quarta Bucolica, ut notum est, verba Sibyllina refert, quæ significatione politica vestivit poeta, ut laudaret imperatorem Augustum. Vives tamen firme asserit verba Sibyllæ ad Christum natum pertinere, nec ad imperatorem Romanum ullum:

*Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna  
Iam nova progenies cælo demittitur alto.*

Dominus Achard vitam suam ratione regebat: primum tamen insolito calore fervebat. Tota anima eius cogitatione Sibyllarum accendebatur. Statuit Aquas Sextias petere ut sculptas ianuas ecclesiæ cathedralis videret, in quibus apparent Sibyllæ illæ, quæ Christum nuntiaverunt nasciturum passurumque. Urbem bene noverat, quia sæpe æstivo tempore in ædibus episcopilibus tragœdias lyricas audiebat. Ante spectaculum solebat in parvo claustro ambulare, cuius umbram diligebat, et gracilem olivam quæ in canonicorum hortulo conclusa stat. In angulo claustri altera arbor, ficus vel arbor paradisi, lapideos extendit ramos in saxo candido immobilique. Non autem Sibyllarum imaginum meminerat. In itinere multum cogitavit. Plura scire ardebat de oraculis Sibyllinis. Statuit post reditum suum documenta vel testimonia apud bibliopolas quærere. Quantum eum tædebat artis oratoriæ et intricati elegantiarum ordinis. Quam vanum repente videbatur ornatis verbis iudices alloqui ad victoriam eripiendam! Non aliter arsisset iuvenis amore tactus. In somno etiam Sibyllis tota mente vacabat.

Lutetiæ visitavit bibliopolam, quem bene noverat, et aperuit ei novum consilium. Mercator consuetudinis mentisque mutationem paululum mirans, post breve silentium, urbanissime, ut solebat, domino Achard duos libros proposuit: librum horarum Lutetiæ impressum anno MDII, ubi Sibyllarum effigies apparebant. Liber haud vili pretio statim emptus est. Alter liber, titulo *Sibyllinarum oraculorum libri octo*, Basileæ anno MDLV impressus, in splendida ligatura coriaca figuris aureis ornata, collectionem carminum Græcorum in translatione Sebastiani Castellionis continebat. Eo viso, Petrus Achard repentina morositate captus est: itane vulgata notaque, ne trita dicam, erant Sibyllarum carmina? Domum rediit celeri gressu.

Post aliquot dies, lecto etiam atque etiam loco Valerii Maximi de libris Sibyllinis, visitavit amatorem librorum, qui libros esotericos præcipue quærebat. Ille eum certiores fecit carmina Græca non pertinere ad Sibyllas, immo tempore imperii Romani scripta esse, et ex manuscripto Sangallensi provenire. Petrus Achard nihil aliud agere poterat, quam amissos libros Sibyllinos, qui olim Romæ fuerant, deplorare, atque inauditas prophetias mente fingere quæ totius historiæ cursum ambiebant, nam a Stilicone combusti sunt.

Amator librorum, nomine Ionathas Locherus (nisi narrans erravit Lucius) die sequenti eum telephonice vocavit, ut denuo convenirent. Dixit se aliquid visu digni apud se habere. Vespere subtili alacritate eum accepit. Sumpto vino, posuit in mensa librum pergamineum, manu scriptum in media ætate.

«Quid est? rogavit dominus Achard.

- Brevarium Parisiense decimi tertii sæculi.

- Cur mihi ostendis hunc librum? Scilicet pulcher

est, quid tamen ad Sibyllas meas?

- Folio octavo, sermonem de Nativitate dominica legas.

- Nihil insolitum.

- Nihil, nisi esset solum exemplar huius sermonis sancti Augustini quod sit in manibus privatis hodie. Supersunt duo alia exemplaria quorum unum est Vindobonæ in Bibliotheca cæsarea.»

Caute manuscriptum inspexit. Repente hos versus notavit:

*Omnia cessabunt, tellus confracta peribit;*

*Sic pariter fontes, torrentur fluminaque igni.*

Optime noverat hos versus, quos legere licet in Civitate Dei apud Sanctum Augustinum. Palpitavit cor eius. Quid? Nihil novi erat... Cum autem Locherus proposuit immodicum pretium pro manuscripto, quasi extasi raptus, codicem emit, et abiit celeriter, sudore madens. Superfuerat autem tempus satis, ut diceret Locherus submissa voce: «Te vocabo. Rogabo amicos meos utrum libros pro te habeant. Da mihi mensis spatium.» Nihil iam cogitabat Petrus Achard, et domum properavit, arte tenens novum thesaurum.

Nondum præterierant quattuor hebdomadæ cum vocavit telephonice Ionathas Locherus dominum Achard.

«Quid novi, domine Lochere?

- Otium nondum habui ut certiores facerem amicos meos de inquisitione tua; attamen audivi rem miram. Vir quidam, cuius uxor infausta valetudine utitur, manuscriptum vendere cupit. Agitur de manuscripto sexti decimi sæculi quod continet libros Sibyllinos qui quondam servabantur in templo Capitolino. Non est aliud exemplar huius scripti, nec notum est scripta hæc usque ad nos pervenisse.

- Nonne denuo est carmen quod a Græcis christianis fictum est? Vel a poeta quodam ætatis renascentium artium ut fit in cantico Rolandi Lassi?

- Minime! In ipso enim manuscripto legitur: 'iuxta exemplar perantiquum in arca Apostolica Vaticana nuper inventum.' Deinde alia manu notatur: 'Libri Sibyllini ab Helvetiis Romam vastantibus anno MDXXVII capti deletique. Iudicabit Deus.'

- Quid? Superfuerunt ergo libri antiqui usque ad sextum decimum sæculum?

- In bibliotheca arcana paparum, ut patet.

- Amicus tuus codicem vendere vult?

- Vult. Nec tamen venditione publica eum vendere vult, nam timet ne res publica prioris emptionis iure utatur. Fortasse simul timet, ne in malas manus incidat liber tam pretiosus.

- Licetne librum videre?

- Mox licebit, liber autem Lutetiæ non est, sed in Helvetia.

- Quo die eum habebis?

- Oportet primum Helvetiam petam, sed heu, nondum collegi pecuniam quæ mihi deest, ut iter suscipiam.

- Hoc difficile non erit. Pretium enim deversorii traminisque solvere possum.

- Ita facile non erit. Non licet manuscriptum ex Helvetia exportare. Oportet pecuniam inveniam, ut alii amici nobis auxilio sint.

- Rem tibi confido. Quanti constabit?

- Bene erit, si decem milia euronum schedis Helveticis habuero.

- Dabo cras tibi. Tunc disputandum erit de pretio ipsius codicis.

- De hac re nihil statuit venditor. Cum videris librum, una pretium statuetis. Ego nihil ex vobis poscam, nam omnia amicitiae gratia ago.

- Bene. Te cras videbo et pecuniam dabo. Ad te veniam. Bene vale.»

Illa nocte non valuit dormire Petrus Achard. Se gravem habebat, ut eques, qui calicem ultimae Christi cenae invenisset. Nihil praeter portenta arcana dicti codicis cogitare poterat: mox solus erat, qui veras Sibyllarum prophetias legeret. Mire palpitabat cor, crebris fortibusque ictibus.

Datis Ionathae Lochero nummis, eoque in Helvetiam profecto, nihil antiquius habuit quam ut bibliopolam visitaret, qui peritus erat manuscriptorum aetatis Artium Renascentium, atque ut certior fieret de miri libri (quem propter parum dormiebat) pretio. Unam rem solum timebat: ne venditor solidiorem emptorem in diviti Helvetia inventurus esset. Bibliopola eum caute audivit, primum fere incredulus. Eo excitatior videbatur, quo plura disceret de libro. Post duas horas laboriosae disputationis, intellegens se numquam librum visurum esse, quamquam subiratus, proposuit Petro Achard ut venditori non minus quam trecenta milia euronum daret. Quo dicto palluit dominus Achard: quamquam prosperus, non satis habebat pecuniae ut tale pretium solveret. Celeriter cogitavit, et statuit manuscriptum Ciceronis orationum, Florentiae illuminatum annis MCCCLXX, quod olim non sine difficultate emerat, divendere. Rogavit bibliopolam num fieri posset, ut Ciceronis librum statim emeret et solveret, si necesse esset. Annuit bibliopola, anhelantemque dominum Achard hortatus est ut quam celerime afferret dictum codicem inspiciendum, cum vellent rem intra breve tempus agere. Dominus Achard tunc laeto corde bibliopolae valedixit. Hoc puncto temporis omnem bibliothecam suam dedisset pro ignoto libro.

Morae impatiens erat dominus Achard, et peractis duobus diebus telephonice compellavit Ionatham Locherum. Tantum potuit nuntium committere machinae responsoriae, nec eum revocavit Locherus. Primum putavit rem magis arduam fuisse quam constitutum erat. Transeuntibus autem diebus arbitratus est se fraude decipi. Non poterat ad vigiles ire, remque denuntiare, quae parum licita esset. Tum tristitia animi affectus est: quomodo fieri poterat, ut vir prudens, iurisque peritus, potuisset deposito omni modo iudi-



Michael Angelus (1475-1564), Sibylla Delphica, in sacello Sixtino.

cioque clandestinum ac illicitum foedus sancire cum viro vix noto, nec suspexisset dolum quendam fuisse? Spes interdum animum fovebat, et renovatus vigor, cum manuscriptum unicum cogitabat: nonne erat ultimum vestigium antiquarum prophetiarum dignum omni audacia? Nonne codicis pretium erat, rem clam agere? Num potuisset talis codex ad lucem prodire, veraces prophetias profanae plebi divulgari, et sordidis cupiditatibus tradi? Sed omnis novus dies erat cruciatus, et mens spe, ira, melancholia distrahebatur.

Octavo vero die, accepit epistulam electronicam brevem:

«Locherus domino Achard spd, svbeev. Accepi codicem, non tamen defuerunt difficultates, nam me persequitur homo mihi ignotus qui ter conatus est librum vi furari. Si aliquem certiore fecisti de manuscripto, fac sciam quis sit, quia virum aufugere vix potui, venditorque mihi valde irascitur. Latebo ergo aliquot etiam dies, atque te monebo, ut conveniamus. Quæso, habeas tecum pecuniam, sic enim agemus: cum convenerimus, vocabo venditorem et una pretium statuetis. Afferam ei nummos, tu codicem servare poteris. Bene vale.»

Dominus Achard de litteris non stupuit. Quis non cuperet talem librum domi habere, atque prophetias solus legere, quae orbi toti perditae erant? Difficiliora officio fungens iam viderat. Statuit omnia suscipere, ut emeret manuscriptum. Brevissime Lochero respondit:

«Petrus Achard Ionathae Lochero sal. Nemini locutus sum de re nostra. Fortasse est alter emptor, qui pretium solvere non vult. Fac igitur cautus sis, ego

pecuniam cras colligam mecumque afferam. Vale.»

Lætabundus erat dominus Achard, ut adulescens qui primum conventum cum puella amata inibat. Iam vesper erat, at bibliopolam telephonice vocavit, quocum statuit sequenti die quam maturissime convenire et codicem Ciceronis venum dandum afferre. Paucae intererant horæ, antequam tandem posset prophetias communibus hominibus inauditas accipere emere legere. Ex bibliotheca Ciceronis opera extraxit, simul ac missale decimi quarti sæculi, quod a iuventute servabat. Sic necessariam pecuniam celeri venditione colligere volebat. Ad lectum hora nona vespertina ivit. Dies Mercurii erat.

Die vero Veneris, cadaver eius inventum est ab

ancilla, quæ hebdomadatim domum purgabat. Convocati in festinatione vigiles corpus pendens ceperunt. Deerant in bibliotheca duo codices, opera Ciceronis et missale, quos dixit emisse bibliopola. Pecunia numquam inventa est. Cum nescirent vigiles, quid die Iovis fecisset Petrus Achard, nec quid insoliti invenissent, scripserunt advocatum sibi manum iniecisse. Lucius, cum rem mihi retulit, quasi incredulus ipse videbatur esse. Ipse non censebat veterem amicum se ipsum necavisse cum ei nulla ratio videretur esse. Ego plura dicere non valui, qui hominem non novissem. Tristem finem causidici mirati sumus, qui vir olim prudens umbram secutus esset. Quam securius est, austeram rationem colere! ☞

---

## DE BERNARDINO RAMAZZINI, QVI ANTE TRECENTOS ANNOS MORTVVS EST

– scripsit Victorius Ciarrocchi –

Sæculorum decursu medicina multas in provincias sest divisa, quas inter præsertim his temporibus magni momenti est medicina ad eos morbos pertinens, qui e variis laboribus brevi aut diu susceptis oriantur. In istius generis morbis investigandis principem locum occupat Bernardinus Ramazzini, qui anno 1633 in oppido c. n. *Carpi* prope Mutinam sito ortum habuerat et abhinc trecentos annos, i. e. die 5 Nov. a. 1714, Patavii vita functus est.

Postquam studiorum curriculum expleverat, in Parmensi universitate anno 1659 medicinæ lauream adeptus est et Romam se contulit, ut in Urbis valetudinariis clinicam artem melius disceret. Anno autem 1671, cum mortuus esset Antonius Maria Rossi, qui Bernardinum Romæ commorantem adiuverat, hic in Æmiliam rediit, et post aliquot annos artem medicam Mutina in urbe exercere cœpit. Sed nonnullis controversiis eisdemque satis molestioribus implicatus est atque improbatus præsertim ab Andrea Moneglia, medico Florentino, putante Bernardinum non recte egisse in marchionissa quadam curanda, quæ post partum decessit. Sed Ramazzini suas medendi rationes defendit variis opusculis et æstimationem, qua a ple-risque viris doctis honestabatur, numquam amisit. Quin immo anno 1682, cum nova sedes universitatis Mutinensis instituta esset, munus theoreticæ medicinæ

docendi huic viro adtributum est (quæ tunc «medicina theoretica» dicebatur, ferme congruit cum hodierna «pathologia generali»).

Post aliquot annos librum *De constitutione anni 1690* inscriptum edidit, quo varii morbi ex eluvionibus orti, quæ agros Mutinenses perturbaverant, clare describuntur. Quoniam Hippocraticæ medicinæ Ramazzini fautor erat, quæ non sine «magnis fructibus»<sup>1</sup> in Italia observabatur, a medicis dissentiebat putantibus remedium optimum ad omnes fere morbos curandos illud esse tunc usitatissimum, scilicet sanguinem ex ægroto detrahere.<sup>2</sup> Et quia id temporis medici quidam sibi persuasum habebant aeris gravitatem alicuius esse momenti, instrumento «barometrographo» usus est ad computandos eius gravitatis numeros apto eosque edidit in opere c. t. *Ephemerides barometricæ*, quas valde laudavit Godefridus Vellelmus Leibnitz, vir multis doctus disciplinis, qui anno 1690 Mutinam iter fecerat ut veras Estensis domus origines, quæ cum Brusvicensi domo iungi posse viderentur, attentius investigaret.

Itaque inter hos viros, postquam alter alterum gratanter convenerat, ea familiaritas est conflata, quæ efficit ut non ii tantum homines diligentur, qui præsentibus sint, verum etiam absentes, si cum his vinculum quodlibet amicitiae olim sit coniunctum. Cumque naturalium rerum quoque investigationem haud sperneret,

Ramazzini puteorum Mutinensium, qui dicuntur «Artesiani» (hoc nomen e provincia *Artois* Francogallica ductum est), proprietates et naturam explanavit in libro, qui *De fontium Mutinensium admiranda scaturigine tractatus physico-hydrostaticus* (Mutinæ, a. 1691) inscribitur quique nominibus abundat medicorum investigatorumque, qui de aliquibus artificum morbis tractaverant. Hæc opera attentius, qua erat diligentia, Ramazzini legerat. Nam in huius libri capite tertio ipse cum alia tum scribit hæc: «Quin et maria ipsa per occultos ductus mutua exercere commercia creduntur (...) veluti non levibus coniecturis ostendit scientissimus Kircher, qui ulterius ad statuendam in geocosmo aquarum de polo in polum circulationem, voraginem suppolarem in boreali plaga describit, de qua pariter Olaus Magnus et Helmontius scripsere.»<sup>3</sup>

Et quamvis multis implicitus esset occupationibus, tamen humaniorum litterarum studia nunquam neglexit et in carminibus componendis interdum delectabatur. In morte v.g. Lauræ, quæ Mutinæ et Regii ducissa fuerat, Parcarum colloquium Ramazzini panxit, quod versibus incipit hisce: «Aurea concordies ducunt dum stamina Parcæ/ Queis Lauræ Estensis vita diesque fluunt./ En sentit Clotho contorti pondera fusi/ Atque fere exhaustum iam videt esse colum (...).»

Inde igitur a sæculo XVII exeunte meritam famam Bernardinus sibi comparaverat etiam apud viros doctos peregrinos, quos inter Lucas Schroekius erat. Hic vir, doctissimus academiæ Cæsareo Leopoldinæ præses, Carpentem medicum invitavit ut eiusdem academiæ particeps fieret. Etiam in actis eruditorum Lipsiensibus Ramazzini laudatus est, quoniam, ut aliquo loco scripserat Ludovicus Antonius Muratori, «in dissertatione de constitutionibus annorum 1693 et 1694 crudelibus medicis subirascitur incertamque eorum in medendo methodum eleganter castigat, gentem rusticam, quæ magis paracho, quam medico fidit.»

Atque in alio Bernardini libro, qui est *De principum valetudine tuenda*, quem is anno 1710 conscripsit et Francisco Estensi dicavit, prudentiora leguntur consilia, quæ etiam aliis huiusce ætatis hominibus utilia esse possint, utpote qui variis de causis vitam degant sollicitiorem. Ait igitur medicus ille: «Mirum non est si propter animi pathemata naturalis œconomia pervertatur et facili negotio corruat bona valetudo (...) Principes itaque, si illis cordi est bene valere, a violentis animi affectibus quantum liceat caveant, non ita tamen, ut ad apathiam illam, philosophi quidam ambitiose nimis affectarunt, studeant pertinere (...).» Anno 1665 Bernardinus uxorem duxerat Franciscam Guaitoli, e nobili familia Carpensi natam, quæ quattuor liberos peperit; sed tantum duæ filiæ patri non præmortuæ sunt.

Tempus autem est ut mentio iniciatur et quædam dicantur de opere gravissimo Bernardini Ramazzini,

quod *De morbis artificum diatriba* inscribitur et cuius prima editio anno 1700 Mutinæ, apud Antonium Capponi, in lucem prodiiit. Huic operi, quod anno 1713 etiam Patavii edidit Ioannes Baptista Conzatti (ex anno 1700 in celeberrima universitate Patavina «medicinam practicam» docere cœperat Ramazzini) addita est *Dissertatio de virginum vestalium valetudine tuenda*.

In artificum morbis tractandis alii viri docti Bernardinum aliquatenus præcesserant veluti Paracelsus (1493-1541), qui nonnullos morbos descripserat, quibus obnoxii erant fodinarum operarii; Ioannes Baptista Codronchi (1547-1628), qui quanti periculi esset cannabis macerata demonstraverat; Paulus Zacchia (1584-1659), cuius in opere *Quæstiones medico-legales* inscripto considerationes de insalubribus ergasteriis continentur non modo legales. In horum autem aliorumque virorum scriptis vel ad morbos quosdam pertinentibus nihil invenitur, quod accuratissimo Bernardini libro æquiparari possit. Nam «est opus ex omni parte absolutum, quod quinquaginta duo capita complectitur, quibus omnes fere illius temporis artes interdum morbificæ penitus describuntur.»<sup>4</sup>

Quo tractatu ab omnibus illius ætatis viris doctis laudato et aliquas in linguas vulgares translato sententiæ quædam continentur lectu dignissimæ, ut huius viri acuta in morborum causis investigandis peritia intellegatur et prudentiora consilia, quæ ad morbos vitandos et leniendos is dare solebat, etiamnunc utiliter perpendantur. Ramazzini ex.gr. caput XXXVIII dicatum «morbis quibus tentari solent phonasci, cantores alique huius generis» concludit verbis his: «Remedia quod attinet, ut herniam sibi familiarem isti artifices præcaveant, ac eo magis, cum ab ea detinentur, subligaculo uti debent; cetera enim remedia, uti unctiones, cerata et emplastra, ridendæ sunt res.»

Eandem iucunditatem, a qua ipse alienus non erat, in dissertatione *De literatorum morbis* inscripta et operi supra memorato inserta facile invenias. Is enim scribit: «Viri ergo sapientes, qui nominis sui famæ et existimationi in longum tempus prospiciunt, diurnis ac nocturnis laboribus se conficiunt, ut aliquando pereant, antequam pariant.» Deque literatorum valetudine servanda ac tuenda, quæ studiosis maxime necessaria est, addit hæc: «Mirari profecto numquam satis potui, quare Plato non procul Athenis villam academicam delegerit parum salubrem, immo pestilentem habitam: an forsitan idem consilium illi fuerit ac Bernardo abbati Claravalsensi, qui loca pro more habuit deligere, in quibus sua monasteria extrueret, ut sic monachos suos valetudinarios haberet ideoque magis obsequentes ac voluptatum illecebris minus obnoxios.»<sup>5</sup> Nam vitam laborum et difficultatum plenam sæpe ducere solent homines litterati, qui, vel si mediocrem famam adsequi cupiant, a gravioribus curis numquam vacare possint.

Quam præterea doctus in rebus non modo medicis tractandis fuerit Ramazzini, e multis huius «diatribæ»

capitibus patet; in capite v.g. «Morbis castrensibus» dicato scriptor Carpensis de non paucis medicis mentionem facit, quorum in operibus nonnulla leguntur ad castrorum sordes atque impuritatem spectantia. Nam limosæ aquæ, cadavera insepulta, militum et equorum excrementa, aliaque similia, quæ singillatim referre longum est, varios morbos in castra invehunt. Quare non defuerunt doctissimi viri, qui in morborum castrensium studium incubuerint, «ut Raimundus Mindererus, qui tractatum edidit *De militari medicina*, nec non Henricus Screta, qui egregie scripsit *De febre maligna castrensi*, et doctissimus Antonius Porcius *De militis in castris sanitate tuenda*.» Frequens autem ac periculosus morbus – eodem in capite legitur – est ille, qui milites adficit nimio ac sollicito in patriam redeundi desiderio flagrantibus. Quod quidem desiderium Theodisce *Heimveh* dicitur quodque – pace putantium solam Cæsaris et Ciceronis Latinitatem esse adhibendam – «nostalgiam» appellare ausim (ceterum hac voce, quæ est «nostalgia», iam inde ab ineunte sæculo XIX aliqui medici, nisi fallor, usi sunt). Graviorem ob hunc morbum imaginatio læditur, intellectus munimenta perturbantur, et ceteræ corporis functiones pessumdantur. Quæ omnia militibus, qui hoc morbo corripiuntur, potissimum nocent.

Inter alia, quæ Ramazzini conscripsit opera, locum minime spernendum occupant tredecim orationes ad varia pertinentes argumenta. Etiam his ex orationibus facile intellegitur qua methodo ipse usus sit in medicina exercenda: methodum scilicet rationemque magis experimentis innixam quam doctrinæ præceptis. Quo clarior sit hæc ratio, sententias quasdam de quinta oratione, quæ *Medicam artem navigatoriæ similem esse* inscribitur quamque die 4 Nov. 1703 Bernardinus habuit, depromere visum est. Qui vir cum alia tum ait hæc: «Lubet itaque medicam facultatem nauticæ persimilem ostendere, adeo ut prudens et solers medicus iisdem legibus et eodem pæne regimine ac peritus navita administrare debeat eam, quam suscepit provinciam (...) Navis gubernatorem philosophiæ operam dedisse et decet et necessum est; de ea tamen philosophia intellegi nolim, quæ circa futiles quæstiones et logomachias ingenia potius deterit quam exacuit, sed de vera ac solida philosophia, quam experimentalem vocant (...) At quis feliciter id præstet, quam ille medicus, cui tanquam fidæ comites adstant philosophia et mathematica? Atque ut exemplo in mathematicis res planior fiat, quis, precor, modum quo fiat visio, quomodo depravetur, verius exponat, quam qui opticem didicerit? (...)»

Discipulos igitur admonere solebat Carpensis medicus, ne temere agerent, quoniam pro certo habuit minus graviter erraturum medicum, qui cautior fuisset, quam audacior. Atque hanc rationem semper secutus est Ramazzini etiam in disputationibus, quam cum collegis doctissimis interdum habuit. Quos inter fuit Franciscus Torti (1658-1741), Mutinensis, qui anno 1712 magnum opus ediderat de vi cuiusdam Peruviani corticis.<sup>6</sup> Sed anno 1714, paucis ante mensibus quam e vita migraret, dissertationem Ramazzini edidit *De abusu Chinæ Chinæ ad Bartholomæum Ramazzinum nepotem* inscriptam, qua illud remedium, quod Torti adversus febres perniciosas aptissimum esse putaverat, non tam efficax esse adfirmavit. Ad eam dissertationem anno 1715 aliquantulum stomachatus respondit Franciscus, sed Bernardinus iam mortuus erat. Quidquid est de hac disputatiuncula, ad gloriam Bernardini Ramazzini firmandam sufficit opus illud c. t. *De morbis artificum diatriba*, quod prudentiæ, doctrinæ, iucunditatis plenum est quodque ii medici, qui Latinæ linguæ studuerint, non sine aliquo emolumento etiamnunc legere possint. ☞

1. Hoc scripsit Loris Premuda in libro c. t. *De methodica cognitione medica* (Cedam, Patavii, a. 1971, p. 150).

2. Ut refert Richardus Palmer in libro c. t. *Dictionarium Biographicum Historiæ Medicinæ*, sub voce: «Bernardino Ramazzini» (Franco Maria Ricci ed., Mediolani, a. 1989, Tomus IV, p. 16).

3. Athanasius Kircher (1602-1680), Germanus, inter multos illius sæculi Iesuitas et viros doctos eminuit. Olaus Magnus (1490-1557), Suetus, opus gravissimum conscripsit c. t. *Historia de gentibus Septentrionalibus*. Ioannes Baptista van Helmont (1579-1644), Belga, non modo medicus fuit, sed etiam chemicus et physiologus haud spernendus.

4. Hæc scripsit Adalbertus Pazzini in præfatione operis supra memorati et anno 1953 Romæ editi (ex typographia Caroli Columbi, p. XII).

5. Bini loci supra ex *De literatorum morbis* dissertatione deprompti leguntur in p. 228 et pp. 234-235 operis *De morbis artificum diatriba* inscripti et anno 1953 Romæ editi.

6. Integer huius operis titulus: *Therapeutice specialis ad febres quasdam perniciosas, inopinate ac repente lethales, una vero China China, peculiari methodo ministrata, sanabiles*.

# JARKKO TONTTI, POETA SCRIPTORQVE FINNICVS, IVRVM HVMANORVM DEFENSOR

– scripsit Maija-Leena Kallela –

Quomodo Jacasser violam flavam in humum inserit?  
Dum umbræ sæpem horti transcendunt,  
lepores libidinosi  
iam in margine silvæ prospiciunt,  
suam quisque vicem exspectantes,  
cenam facilem  
in uberrima mensa viridi.

Solusne ille radices inserit  
in oculum terræ,  
solusne,  
putat se efficere  
ut multa colorum milia surgantur?

An mulierem Jacasser secum venire petit,  
quæ manus habet validas itemque caput,  
bonam carnem  
habentem mulierem,  
petitne Jacasser  
eam pedibus  
secum  
tellurem ut nigram pulset?

**H**oc poemate modo intimo et quidem hilari describitur momentum quoddam æstivum in vita Jacasseris, viri mundani variis locis variisque sæculis iter facientis. Is alter ego est poetæ, cuius nomen proprium, Jarkko Tontti, his diebus bene notum est per multis Finnis litterarum diligentibus. Mutato vestitu Jacasseris occultatus poeta res ad historiam, politicam, infantiam, paternitatem, amorem, amicitiam, solitudinem pertinentes contemplatur. Nonnulla exempla proferantur: Jacasser nunc Romæ apud Domitianum imperatorem præceptoris officium gerit, nunc Dorpati initio septimi decimi sæculi ut episcopus sorte paganorum sollicitatus versatur, nunc autem adiutans clemens in exercitu Douglas McArthuris consilia sua duci illi generali offerre conatur. Interdum naturam numerorum, interdum autem continuum in toto orbe terrarum progressum ponderat. Itaque dictum est Jacasserem non tantum personam esse sed re vera angulum visualem, ex quo varia tempora varique eventus observari possunt.

Multa carmina poetæ nostri in varias linguas translata sunt: in Theodiscam, Anglicam, Sueticam, Francogallicam, Italianam, Polonicam, Slovenicam, Estonicam, Iaponicam, Lusitanam, Græcam, Russicam, Latinam. Liber primus eius carminum *Annalis* (Vuosikirja, 2006) vocatus præmium litterarum Finnicarum nomine «Kalevi Jäntti» tulit. Cuius præmii distributores versus firmos, naturales, tranquillos carminum eius proprios esse laudaverunt. In libro carmi-

num secundo (*Jacasser*, 2009) persona Jacasseris primas partes agit. Hoc nomen descriptivum ex verbo Francogallico *jacasser* «garrere, blaterare» originem trahit. Etiam verbum Anglicum *jackass* in mentem eius, qui hæc carmina legit, inevitabiliter venit.

Haud pauca sunt etiam ea carmina, quibus amor naturæ describitur. Ut etiam ex carmine in ingressu huius exagii posito apparet, poeta rebus rusticis vitæ quiete delectatur. Prope urbem *Tampere*, ubi anno 1971 natus erat, villam æstivam habet pulcherri- mo prospectu silvis solitariis circumdatam, ubi lepores et sciuri et capreoli hominibus in villa habitantibus appropinquare audent. Prope villam lacus est piscibus abundans. In animo fingere potes poetam ibi in scapha sedentem pisces hamo captare conari. At interdum piscis callidus victor effugit.

Bullam exspiro pinnamque moveo  
nymphææ cedo viridæ flexili  
sol per folium prospicit.

Vermem video maturum, hamum  
supra respiratio auditur exspectans  
harundo patiens.

Ter sum temptatus,  
ferri in labris meis vestigia.

Est vermis perditus,  
in pace profundi fetifico,  
ver fuscum, altum.

Jarkko Tontti non solum ruris sed etiam urbis est amator. Varia tempora anni, quæ in plaga septentrionali suas habent facies proprias, in urbe quoque præsto sunt et mentem hominis varietate sua movent. Poeta omnia in natura coniuncta esse sentit: animalia, plantæ, mare proprietates habent hominibus similes. Hieme natura non dormit, non moritur; sicut homines, etiam arbores introversæ cogitando operam impendent et horti, velut si occasionem exspectantes, vitam ferventem urbis speculantur:

Tilia se mortuam esse simulat,  
radices circa saxum galeri instar:  
hiems tempus est excogitandi.  
Horti in corde urbis speculantur.  
Terra movetur.

Ver in Finnia mense Martio incipit, postquam tempore æquinocitii verni horæ lucidæ augeri cœptæ sunt et sol altius in cælo ascendit. Nives paulatim tabescunt; nihilo minus mense Aprili ineunte frigora non iam

recesserunt et præcipue noctes sæpe frigidæ sunt. Hoc ipso tempore virgæ fruticum nondum virescentium recidi solent. Quamquam ver in terra sub Stella Polari non necessario simile est veri in terris regione meridiana prioribus, idem gaudium vernum, quod in *Carminibus Buranis* apparet, in hoc carmine parvo sentiri potest.

Ver humo surgit  
frigidum sicut diluculum in luna,  
certum et humidum sicut memoria imi maris.  
Aer cultris genas insecat  
tempus est amandi  
    recidendi ramos.

Autumno Jarkko Tontti, cum rure in urbem *Helsinki*, ubi nunc habitat, reverterit, variis negotiis suis se dedere potest. Multarum rerum doctrina est eruditus, namque in variis universitatibus – Helsinki, Edinburgi, Bruxellis, Berolini – iuris prudentiæ, litteris philosophiæque studuit et doctor iuris prudentiæ est factus. Quamquam prius in parlamento Finnico et in ministerio iuris, deinde in universitate Helsinkiensi laboravit, postea tamen se totum vitæ poetæ auctorisque dedit. Quo factum est, ut maxima pars dierum eius intra parietes graphæi non iam consumatur sed iis dedatur rebus, quæ ei cordi sunt.

Externis pulsibus agitatus poeta noster picturas verbales pingit fortissimas. Hic ille urbem expergiscentem spectat, auscultat, sentit. Cum vita in urbe fervere incipiat, non solum homines sed etiam domus, viæ, cloacæ, hortus, stellæ motu generali cientur.

Manus porriguntur  
digiti pedum solo exsolvuntur.  
Domus aliæ alias in motum trudunt, fundamenta  
    crepitant, una surgunt  
curator in cellario ancoram tollit.  
Via intumescit, gelu terræ post se relinquit  
surgit ut tapes niger  
cloaca sicut naris aperit.  
Hortus centralis terræ silvæque meminit  
    sequi cogitur.  
Ex ianuis in ventum exsilitur  
liberi funes de parietibus scholæ pendentis appendunt  
pater filium super caput leviter pulsat,  
    examine feliciter,  
cursum officium versus dirigit.  
Stratosphæra relinquitur, stellæ crescunt  
crines vento agitantur,  
    vexilla Telluris.

Sensu solitudinis urbani quoque homines affici possunt. Imprimis homines ætate proveci aut ægrostantes aut quodam alio modo deserti, si in multizonio habitant, solito accuratius strepitus variasque voces audiunt, et mentes eorum pavore, spe, expectatione,

impatientia occupantur. Qui sensus, etsi invisibiles, tamen tanta sunt efficacitate, ut clamorum instar in conscientiam hominis penetrent.

Gradus tabellarii in scalis  
    echo  
    echo sicut spes  
sursum deorsum, fauces expectationis clamitant  
    de meliore tempore, de annis  
    de itineribus nullo numero percusso  
impatientia invisibilis,  
    auris pavida clauditur  
    audit in tuto.

Tontti etiam nonnulla romancia Finnice publicavit. Romancium primum eius *Conventus condiscipulorum* (Luokkakokous, 2011) de generatione iuvenum plus minus triginta annorum et de amicitia eorum itemque de quæstione identitatis personalis et de condicione existenciali narrat. Duæ personæ principales, Toni et Matias, coordinatores conventus, amici et condiscipuli sunt priores, attamen in omnibus pæne rebus inter se contrarii. Matias in familia mediæ classis superioris adultus studiis humanioribus se dedit et educationem academicam adeptus est. Toni autem, in academia commerciali educatus, filius est patris, qui in partibus operariorum auctoritate valebat et opiniones partium sinistrarum graviter proferebat. Ambo viri, etsi recessu sociali differunt, novæ generationis quodam modo fessi sunt repræsentatores, quibus pro operis est certandum et qui parentibus suis pauperiores vivere aut coguntur aut ipsi præferunt. Hæc res, ut Tontti dicit, his diebus non satis bene comprehenditur.

Romancio suo secundo *Palæstra* (Sali, 2011) Jarkko Tontti viros feminasque describit, quorum fata in studio corporis exercendi contexta sunt. At hoc studium non omnino est tutum neque periculis caret. Nam etsi ad salutem hominis pertinet, animum exercentis sicut droga invadere et, si res male geruntur, in calamitatem verti potest. Hoc romancium etiam descriptio est solitudinis, nam tres personæ principales in domibus suis singulis vitam solitariam agunt.

Romancium tertium *Iter aerium* (Lento, 2013) est satira de societate moderna, de circulis academicis minusculis miserisque et de statu hominis ante finem mundi. Hoc libro allegoria de asteroide quodam, nomine «433 Eros», construitur. Dum Eros Telluri minaciter appropinquat et vita multifariam in chaos vertitur, Tuitus, astronomus erotomanicus, ad fatum suum accedit.

Auctor noster etiam romancium phantasticum nomine *Legenda de Vedeera* (Vedeeran taru, 2012) publicavit et præmio de litteris ad pueros puellasque compositus affectus est. Vedeera puella est silvana, quattuordecim annos nata, cui sorte negotium obtingit permagni momenti; quo confecto bellum inter homines silvanosque evitabitur. Avaritia fallaciæque



non solum inter homines sed etiam inter populum silvanorum repertæ eam decernere cogunt, cui confidat. Feliciter hæc herois iuvenis sapiens est itemque iusta et bona consilia inire potest.

Jarkko Tontti, iuris ut sit consultus, etiam in variis societatibus iura humana defendenda curavit. Annis 2011-2014 in collegio moderatorum in PEN Finnica operavit, quæ societas nationalis pars est organizationis internationalis ad libertatem loquendi et scribendi defendendam pertinentis. Nunc in PEN internationali fiduciarii officia curat. Quo factum est, ut longa itinera in varias partes mundi facienda pars vitæ eius sit essentialis. At, ut poeta ipse subridens dicit, cultor rerum est humanarum Epicureanus; itaque inter omnia officia sua vita gaudet et etiam in magnis aeriportibus et in aulis conventuum internationalium in multitudine multiculturali libenter versatur. ☞



Percontatio poetæ inter ferias librorum internationales Pragæ anno 2012 institutas.

## DE STVPENDA ALEA

– scripsit Gaius Licoppe –

Vocabulum Francogallicum *basard* (Angl. *chance*), e vocabulo Arabico, quo significatur «alea», ortum est; Latine ergo optime dicitur «alea».

Antequam ad aleam veniamus, oportet nonnulla dicamus de nova physica, quantica vocata, e vocabulo «quantum» a Maximiliano Planck ficto. Arte mathematica non egemus ad eius novitates intellegendas. Vocabulum «conceptum», quod antiquitus primum significabat fetum materni corporis, hic adhibetur ut fetus intellegentiæ.

Magnæ mutationes in physica semper lente intelliguntur et accipiuntur ab hominibus eruditis, quin etiam ab ipsis physicis. Primam magnam mutationem induxit Newtonus, cum legem gravitationis invenit; ipse tamen de suo invento dicebat rem esse absurdam, quam nulla mens sana posset credere!

Hæc lex, nunc ab omnibus nota et accepta, initium fuit physicæ, quam vocamus classicam, sed quæ physicis recentius apparuit manca et cui gradatim successit physica quantica. Quibus gradibus hanc mutationem fecerint, hic non narrabitur; tantum agetur de statu hodierno physicorum cogitationum inventorumque.

Tempore Alberti Einstein, unius e patribus physicæ quanticæ, tota natura e rebus localibus<sup>1</sup> constare dice-

batur, i.e. quas solum vicinæ movere vel tangere poterant; hæc descriptio, determinismus<sup>2</sup> scilicet, congruit cum communi animi opinione æque ac ipsius Alberti Einstein. Nova autem physica quantica introducit notionem singularem: fieri posse, ut duæ res inter se valde distantes se gerant ut totum, id est, si una movetur aut mutatur, altera eodem modo movetur aut mutatur; tunc vocantur «intricatæ». <sup>3</sup> Hæc Alberto Einstein videbatur esse hypothesis absurda!

In hac symbola præcipue agetur de concepto, quod vocatur «correlatio»<sup>4</sup> non localis; monstrabitur hoc conceptum arte coniungi cum eo «veræ aleæ», i.e. eventorum, quæ nullo modo prævideri possunt.

Scientiæ finis est correlationes observare, deinde enodare. Ecce exemplum: Quidam Agricola (brevius A) eodem cibo cottidie cenat ac Bella (brevius B), quamquam longe alter ab altera vivit. Hoc certe non fit fortuito; inquirendo aliqua causa «localis» invenietur. Causa esse potest, exempli gratia, utrumque eundem cibum præparatum emere in tabernis, quæ pertinent ad eandem tabernarum societatem, cuius cibi præparati sunt iidem.

Potestne etiam fieri ut nulla localis causa inveniantur? Iohannes S. Bell, Hibernus physicus in C.E.R.N.<sup>5</sup>

Genavæ laborans, ad hoc explorandum excogitavit quendam ludum.

Duæ pyxides fabricantur aspectu similes, quarum partem anteriorem postea inspiciemus, et traduntur Agricolaë et Bellæ; quadro visifico<sup>6</sup> et manubrio præditæ sunt; manubrium tantum moveri potest sive ad dextram, sive ad sinistram. Statim post singulos motus, exitus in quadro apparet, sive 0 sive 1.

Ad ludendum A et B suam quisque pyxidem sumit et longe ab altero discedit. Postero die ab hora 9 ambo singulis minutis manubrium movent sive ad dextram sive ad sinistram, ut lubet; magni momenti est ambos scire non posse, quid alter elegerit.

Deinde notant exitum in quadro visifico lectum, horam et motum, ac pergunt usque ad horam 19; sic colligunt 600 data, quæ constant ex exitibus quattuor compositionum tantum possibilium: circiter 150 A ad sinistram - B ad sinistram, circiter 150 A ad sinistram - B ad dextram, circiter 150 A ad dextram - B ad sinistram, circiter 150 A ad dextram - B ad dextram.

Quo facto, puncta lusoribus tribuuntur hoc modo: quotiescumque A vel B vel uterque manubrium ad sinistram movit, si exitus iidem sunt, unum punctum adipiscuntur; A et B punctum quoque accipiunt, si, manubrio ad dextram moto, exitus inter se differunt.

Denique summa punctorum amborum lusorum fit in singulis compositionibus atque his quattuor summis quater dividitur numerus datorum collectorum, 600 scilicet. Quattuor rationes sic adeptæ adduntur ad medietatem faciendam; facile intellegitur hanc notam finalem maximum esse 4 (600 per 150 divisi).

In hoc primo experimento apparet Agricolaë et Bellæ notam finalem esse, exempli gratia, 3,41 vel 3,55 vel 3,63 vel aliam, semper maiorem numero 3, id quod solum nostra refert.

Alterum experimentum faciamus, quo A et B, neglectis exitibus, qui in pyxidis quadro visifico ostenduntur, exitus notant sibi in mentem fortuito venientes; comperimus rationem successus, etiam si experimentum compluries renovatur, semper esse dimidiam partem, i.e. notam finalem 2 secundum ludi modum rei exprimendæ.

Tertium experimentum faciunt Agricola et Bella, ut maiorem successus rationem attingant; alias pyxides accipiunt, quas licet ordinatis cum programmatis dolo se excogitatis instruere, et ludum compluries renovant. Nota finalis Agricolaë et Bellæ melior fieri potest quam 2, sed qualiscumque est ingeniositas programmatum excogitatorum, numquam A et B nota finalis maior est quam 3.

Cur in primo ludo nota finalis fuerit 3,41 vel alia maior quam 3, explicari non potest, nisi sit aliqua correlatio (i.e. ligamen) necessario «non localis» inter duas pyxides, quæ tunc dicuntur «intricatæ»; nam si B eandem notam habet ac A, quamquam nullum ligamen

«locale» est inter duas pyxides, restat ut manubrium motum sit alea sine ullo ligamine, i.e. «non locali»; huius autem modi alea est novitas in physica, quæ, cum determinismum tollat, a multis physicis, inter quos erat Albertus Einstein, accipi non potest; dicebat enim Einstein: «Deus tesseris non ludit.»

Quid vero nobis significare solet alea? Videamus exemplum: Agricola in via Bellæ «forte» occurrit; «forte» dicimus, sed estne vera alea? Agricola aliquam cauponam petebat et Bella ad quandam amicam ibat; si de amborum itinere certiores facti essemus, facile prædicere potuissemus eos in via esse occursuros. Ergo, cum causæ continuæ inveniri possint, i.e. determinismum respicientes, agitur de «alea locali», ut aiunt physici.

Quomodo fit ut in primo experimento Agricola et Bella notam finalem maiorem quam 3 adepti sint? Vidimus ludendi modum inveniri non posse, quo nota finalis maior fiat quam 3. Si tamen, præter sensum communem, Agricolaë et Bellæ sunt pyxides, quibus nota finalis maior quam 3 datur, una tantum explicatio restat: pyxis B «vera alea» cum pyxide A coordinatur, cum manubria ad sinistram vel ad dextram moventur; aguntur tamquam si essent unum; physici dicunt eas esse «intricatas». Hoc ad aliquam formam determinismi reduci non potest. Natura ergo habilis est ad aliquid puræ creationis faciendum! Si hoc accipitur, non est causa cur manifestationes huius puræ aleæ habeantur uno tantum loco: potest compluribus locis agere atque oportet hac nova notione assuefiamus: vera alea simul coordinare potest res, quæ sitæ sunt locis inter se valde distantibus.

Correlatio non localis explicatur phænomeno physica quanticæ, quod novo vocabulo «intricatio» dicitur. Quod phænomenum non facile explicatur, cum omnino contrarium sit sensui communi. Quare id demonstrare conabimur in aliqua proxima symbola. ☞

1. «Localis» significat continuitatem; nihil movetur, nisi aliqua re motum; nulla informatio transmittitur, nisi filo vel unda ducta. «Non localis» rem contrarium significat, quæ a plurimis non admittebatur, etiam ab Alberto Einstein.

2. Determinismus est theoria, qua docetur omne eventum vel phænomenum habere causam.

3. «Intricatus» adiectivum est neologismi «intricatio» secundum vocabulum Francogallicum *intrication quantique* ficti, quod aptius linguæ Latinæ videtur, quam vocabulum Anglicum *quantum entanglement*.

4. *Corrélation* Fr. et *correlation* Angl. est vocabulum in physica adhibitum, ut in symbola monstrabitur; fieri non potest quin ad rem Latine reddendam neologismo «correlatio» utamur; nihil enim conveniens invenitur in vocabulario ætatum præcedentium.

5. C.E.R.N. = Centre Européen pour la Recherche Nucléaire, i.e. Centrum Europæum Investigationi Nucleari dicatum.

6. Quadrum visificum est vitrum, quo monstrantur imagines televisificæ.



# *In hoc fasciculo !*

*De hodierna Latinitate viva in Russia* [A. Slednikov] p. 1  
*De Sibyllina morte quadam* [D. Blanchard] p. 7  
*De Bernardino Ramazzini* [V. Ciarrocchi] p. 10  
*Jarkko Tontti, poeta scriptorque Finnicus* [M.L. Kallela] p. 13  
*De stupenda alea* [G. Licoppe] p. 15

*Imago tegumenti: Guercino (1591-1666), Sibylla Persica;  
Romæ in Museo Capitolino (Wikimedia).*

---

## **Libri a Melissa editi, de quibus plura in sede interretiali :**

G. LICOPPE, *Academia Latinitati Fovendæ. Eius historia per motum Latinitatis vivæ considerata (1952-2012)*

30 eur.

G. LICOPPE, *De Romano imperio orientali - veræ historiæ conspectus*

25 eur.

H. SIENKIEWICZ, *Anthea*

Sive fabula « Eamus ad ipsum » a Petro Angelinio versa, quam denuo edidit atque illustravit Theodericus Sacré. 20 eur.

*Navigare necesse est. Quattuordecim viatoriæ narrationes veste Latina indutæ.* Miscellanea Gaio Licoppe dicata edidit Francisca Licoppe-Deraedt. 25 eur.

W. JENNIGES, *Mystagogus Lycius. De historia linguaque Lyciorum*

De Lycia, æqualibus nostris parum nota, conspectus historicus et linguisticus, auctore viro linguarum orientalium peritissimo. 7,5 eur.

G. LICOPPE, *Portus Itius*

In quo agitur de Portu Itio, ubi re vera fuerit, ac de Cæsaris navigationibus in Britanniam. 15 eur.

J. CAPART, *Makita*, in Latinum vertit Francisca Deraedt

De antiqua Ægypto phantastica fabula romancia (de historia cuiusdam muris tempore pharaonum), conscripta a quodam clarissimo Ægyptologo. 15 eur.

G. LICOPPE, *Le latin et le politique. Les avatars du latin à travers les âges*  
Adumbratio historiæ linguæ Latinæ, quæ ab antiquis usque ad nostra tempora numquam voluit mori. 10 eur.

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 20 eur. / 25 \$

BNP Paribas Fortis :

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

